



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

4 Vtrum curiales, & ministri iustitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

neque executor sententiae suis manibus occidendo hominem, fieret irregularis, si diceret praecepto iudicis: & idem dicendum esset de militibus, & similibus, quod videtur absurdum. Respondetur, primo de illis ministris, qui ex officio sunt deputati ad haec munera, neganda est sequela, quia licet in particulari causa ad agendum ex praecepto compellantur, illud habet originem ex voluntario usu talis officij, & ideo expresse in ipso iure extenditur haec irregularitas ad ministros, ut statim videbimus. Secundo de ministro exequente poenam mortis, vel mutilationis quoad hoc eadem erit ratio, si munus illud voluntarie assumpsit: si vero fingamus esse personam privatam, quae omnino cogitur praecepto, in primis non habet in eo locum ratio proximae sumpra ex dict. cap. 2. quia illud ministerium non est necessarium ad finem & effectum accusationis, prout fieri debet cum protestatione requisita. Deinde in tali persona est peculiare scandalum, & peculiaris infamia, ratione cuius non potest ab irregularitate excusari. De militibus autem dicemus postea. Tandem confirmatur haec pars, nam ibi non est propria voluntas, sed praecepti necessitas, ergo non potest effectus sequutus ad defectum lenitatis imputari: quis enim dicat hunc defectum fuisse in Abraham, eo quod ex praecepto Dei filium interficere voluerit? Sicut etiam esset defectus lenitatis, imo & homicidium sui, vitam propriam prodigere in manibus inimici sine causa; tamen ex praecepto Dei, vel Praecepti id facere quando oportet, non est defectus lenitatis. Ergo in praesenti casu in quo versamur, non potest actio illa imputari ad defectum lenitatis: ergo nullum superest fundamentum sufficiens irregularitatis.

Argumenta
pro parte ne-
gat. de testi-
ficante ob me-
tutem gra-
uem.

Similia argumenta fieri possunt de testimonio dicto per vim vel metum cadentem in constantem virum, quia tunc illa actio non potest dici ex defectu lenitatis, cum sit quodammodo moraliter coacta. Item ibi non est culpa, neque plena voluntas: ergo deest verumque fundamentum irregularitatis ex causa sanguinis. Item illud est vnum ex medijs, quibus Iudex uti potest ad promouendam causam, & accusationem. Denique ipsemet accusator ut res suas recuperet, & similia damna praecaveat, potest sine irregularitate accusare cum protestatione, ergo & testis in praedicto casu. Patet consequentia, quia ille tunc potius agit de damno proprio vitando, quam alteri inferendo. Unde illa testificatio solum videtur esse quaedam defensio sui per actionem per se & intrinsece honestam: damnum autem, quod alteri inde sequitur, est per accidens respectu testificantis, quia neque est directe voluntarium, ut supponimus, neque etiam indirecte, cum non teneatur illam actionem vitare, ne sequatur tale damnum. Confirmatur ex dict. cap. Tu nos, quod videtur huic sententiae favere, quia ibi iudex misit nuncios ad scholarum querendam, ut exponeret si quae sciret de fure, vel traderet interligia, quae ille misit satis magna: respondit Pontifex nullum impedimentum incurrisse: illa autem manifestatio, seu traditio signorum quaedam testificatio fuisse videtur. Accedit quod in c. Qui cum fure, de furtis, dicitur reum esse furti, qui furti consocius querente possessore non indicat, ubi significatur hoc esse in praecepto iuris canonici: ergo qui illud impleverit, non fiet irregularis, licet inde sequatur supplicium sanguinis.

Argumenta
pro parte
solum tenet.

Ad haec vero argumenta dicendum est, ad summum probare in causa civili modo supra explicato, ubi directe non agitur de causa sanguinis, sed de interese alicuius, non incurrere irregularitatem, quando quis licite testimonium praebet, & maxime si id faciat ex praecepto, vel coactione superioris: tunc enim licet per accidens sequatur condemnatio in poena sanguinis, vel deformationis, non imputatur testi, quia dabit operam relicita, & per se non eo-

Fr. Suarez tom. 3.

operabatur illi effectui, nec de tali actione est specialis prohibitio propter periculum eius; quod si aliquid sit, & praevideatur, satis erit tunc potestati praemittere sicut de denunciatione dicebamus. At vero in causa criminali digna morte vel mutilatione, nullo modo potest effugere testis periculum irregularitatis, etiam si maxime compellatur praecepto, vel comminatione iudicis, quia haec sunt accidentalia, & extrinseca, quae non considerantur in iure, & alioqui actio illa semper participat indecentiam moralis concursus directe, & per se ordinati ad sanguinis effusionem. Et per hoc satisfit omnibus objectionibus, & exemplis. Iura autem ultimo loco citata parum urgent: nam c. Tu nos, §. vlt. loquitur de homicidio quodam casu, & per accidens subsecuto respectu cuiusdam scholaris, qui ibi iudicatur ab irregularitate immunis, praeterquam quod ille testis proprie non fuerat, sed quaedam indicia valde renferunt illius personae tradiderat. In cap. autem, Qui cum fure, imprimis non agitur de manifestatione furis, sed furti, id est, rei furto sublata (licet Glossa aliter exponat): Quod si ex charitate, & iustitia necessarium sit reuelare personam, & inde imminere periculum mortis, tunc servanda est regula posita, & videtur non fiat agendo vel testificando criminaliter, & servatis aliis circumstantiis superius positis.

SECTIO III.

Verum curiales & ministri iustitiae in causis criminalibus irregulares fiant.



Innocentius III. Epistol. 24. cap. 2. hos omnes irregulares esse dicit, & habetur in cap. 1. dist. 51. Nam licet in fine ita concludatur: Quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur: quae verba videntur poenam per Iudicem ferendam continere, & respectu ordinatoris sine dubio talia sint: nihilominus ex praecedentibus verbis constat huiusmodi personas prohiberi ne ordinentur, atque adeo fieri irregulares ratione talis ministerij. Verba autem, quibus hi ministri significantur sunt, Curiales, qui dum parent potestatibus, quae sibi sunt imperata, fecerunt, & illa, qui in forensi exercitatione versati sunt. In quibus verbis primum obscurum est, quinam sint curiales, qui ex tali munere irregularitatem contrahunt. Nam Glossa ibi tantum exponit, id est, Officiales: sed intelligenda est iuxta subiectam materiam, nam generali appellatione dici solent curiales, qui in curia Principis versantur, & in ea munus aliquod exercent ad ipsammet curiam spectans: & nunc vulgari sermone maxime ita vocantur (quasi per antonomasiam) officiales Romanae Curiae, qui ad praesentem considerationem non spectant, ut per se notum est. Curiales ergo secundum subiectam materiam dicuntur, qui in quacumque seculari curia ministri sunt in causis sanguinis, quomodocumque ad illas cooperentur, ut sunt tabelliones, procuratores, sollicitatores, & inferiores etiam ministri, qui vel denunciant, vel scribunt sententiam, vel aliquod simile munus exhibent, ut aperte habetur in dict. c. 1. 2. & 3. d. 51. & ex omnibus scribentibus.

Conclusio.
Cap. 1. d. 51.

Curiales
qui dicuntur.

Est autem circa hos curiales advertendum, omnes esse irregulares ad ordines quamdiu in ministerio permanet, quosdam vero etiam illo dimisso, licet non omnes. Ratio prioris partis est, quia sicut clerici immisceri non debent his officiis, secularibus, ita etiam maiori ratione qui actu sunt illis officiis destinati: inepti sunt ut ad clericatum assumuntur. Quae ratio non solum probat de curialibus in causa sanguinis, sed etiam in quibuscumque causis forensibus ac secularibus, ut ex eisdem capitulis colligitur, & ibi notant auctores. Altera vero pars declaratur, nisi co-

Curiales se-
culares cu-
ria dum in
officio per-
sunt: sunt
irregulares.

Non possunt
nisi co-

Q99

nam

perati sunt
ad causam
sanguinis.

nam vel isti curiales tempore quo tale munus exercuerunt; nunquam cooperati sunt in causa sanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis; & tunc exercuisse tale munus, si illud deponant & nullum aliud subit impedimentum, non oberit ordinationi, quia ut dixi, etiam ipsa sententia sanguinis, si non peruenit ad effectum, non inducit irregularitatem: quod etiam in dict. c. 1. significatum est ibi. *Qui dum parent potestatis, quas sibi sunt imperata, fecerunt, quæ imperata paulo ante vocata sunt, seu præcepta.* Et in cap. 2. ita exponit Glossa verbum *admiraueris*. Idem colligitur ex cap. *Officiis*. 51. d. Dixi autem, *Nisi aliud impedimentum interueniat*, quia potest aliquando tale esse ministerium, ut ex eo generetur infamia, & tunc illa impediet quamdiu durauerit: sed illa est irregularitas alterius rationis. Vel durante munere intercessit cum effectu cooperatio ad formationem, & tunc etiam relicto munere manet, etiam si officium deponatur, irregularitas propria, de qua nunc agimus, ut constat, tam ex dictis capitibus, quam ex multis aliis d. 50. & ex citatis in principio.

An aduocatus
iustus irregularis.

Hic vero superest speciale dubium de aduocatis propter illa priora verba dicti cap. 1. *Qui post baptismum gratiam in forensi exercitatione versati sunt*: ubi Glossa exponit, id est, qui aduocati fuerunt; & tamen in eis non postulat effectus effusionis sanguinis, imo nec sit determinatio ad eos qui patrocinantur in causa criminali, sed absolute in forensi: ubi Archidiaconus exponit, tam in causa civili, quam criminali. Nec dicitur, *qui versantur*; sed *qui versati sunt*: ergo significatur, ex illo munere reddi hominem irregularem per se, & absque alio effectu. In contrarium autem videtur, etiam secuto effectu aduocatum non fieri irregularem, quia ipse neque inducit, neque est causa, sed solum declarat veritatem. Dicendum autem est, aduocatum in causa sanguinis, si ex illa sequatur effectus deformationis esse irregularem, non vero absque tali effectu. Vtraque pars certa, prior quidem excitatis decretis, quæ necesse est saltem hoc modo verificari. Et ratio etiam est clara, quia aduocatus multum influit in talem sententiam: quæ uis enim veritatem consulat vel doceat, tamen quia practice docet mouendo ad opus, ideo particeps sit effectus subsequenti. Et in hoc conueniunt omnes Doctores, quos supra citauimus, & videri potest Antonin. dict. c. 2. §. 2.

Antonin.
Secus si effectus non sequatur.
Maior.

Posterior vero pars non est tam certa sicut prior, nam aliqui auctores tenent contrarium, ut Maiolus cum Speculatore, & Hugo lib. 2. ca. 9. qui volunt in eo casu currere irregularitatem Episcopalem. Tamen communior sententia est in contrarium, quæ tenent Doctores supra citati circa personam Iudicis & a fortiori sequitur ex ibi dictis, nam multo maior ratio irregularitatis est in Iudice, quæ in aduocato. Et ratio generalis est, quia sine actuali effusione sanguinis, neque homicidium interuenit, neque defectus lenitatis. Ad verba autem citata responderi potest, ex vi illorum solum colligi irregularitatem, quæ durat durante munere: nam ut maior incuratur necessarium est, ut sequatur effectus, & ideo iuxta posteriorem clausulam, de curialibus illa prior intelligitur. Aut certe (quod verius censeo) illis verbis coniungendæ sunt, quæ proxime sequuntur, scilicet, *Et obtinendi peritiam susceperunt*, quibus significatur, non quodcumque aduocati patrocinium, sed illud, quod pertinaciter datum est usque ad sequutum effectum inducere hanc irregularitatem. Quam expositionem significant ibi Glossa, Archidiaconus, & Turrecrem.

An aduocatus qui pro reo agit sequitur effectum deformationis contra

Quæ præterea solet, utrum aduocatus fiat irregularis, non solum, qui agit contra reum, sed etiam qui illum defendit, si contingat inde resultare ut reus absoluitur, & in accusatore feratur poena talionis. Videtur enim ille non incurrere, quia non agebat contra alium, sed tantum defendebat reum & alioqui

adabat operam, rei licitæ, & non ordinatæ ad sanguinis effusionem: ergo, quamuis per accidens sequatur, non inducet irregularitatem. Nihilominus multi sentent, in eo casu aduocatum fieri irregularem. Ita tenet Glossa in dict. c. 1. d. 50. & ibi Archid. & Turrecrem. & Nauarr. ca. 27. n. 21. & Maiolus dict. ca. 9. n. 2. qui alios refert. Et potest pro hac sententia induci dict. c. 1. quod indifferenter loquitur de aduocato. Ratio vero est, quia defensor rei, licet non directè, per necessariam consequentiam agit contra accusatorem, & ideo est moralis causa deformationis in illo subsequente, quamuis illam non intendat. Alij dixerunt, aduocatum rei in hoc casu fieri irregularem, si sit clericus, quia dat operam rei licitæ, non vero aduocatum laicum; quia licet faciat, ut ex Abbate & alijs refert Couar. d. §. 5. n. 6. & multi ex citatis autoribus hoc indicant. Sed, ut rectè aduertit Couar. hæc distinctio parum est ibi necessaria, cum irregularitas hæc non contrahatur ex delicto, sed ex defectu lenitatis.

Igitur, ut generalius respondere deamus, distinguamus inter accusationem iustam, & iniustam, & aduocatum accusatoris & rei. Nam in primis, si accusatio sit iusta, aduocatus, qui suscipit patrocinium rei, etiam si non obtineat, non erit irregularis, per se loquendo, quod est verum tam de laico, quam de clerico, quia siue det operam rei licitæ, siue illicitæ, mors non sequitur ex actione eius: melius enim & citius sine tali patrocinio sequuta fuisset. Dico autem, per se loquendo, quia contingere potest ut aduocati culpa, vel imperitia, aut negligentia damnetur reus, & tunc reddantur irregularitates in aduocatum eius, iuxta sententiam Hostiensis in cap. 1. de Postulando n. 6. & 7. quod intelligendum est iuxta superius dicta de modo incurredi irregularitatem ex omissione. Secundo, si accusatio sit iniusta, & contingat reum absolui, accusatorem vero deformari, aduocatus ipsiusmet accusatoris fiet irregularis. Hoc non dicunt citati auctores, nec tamen negant. Et sufficienter probatur, quia ille dat operam rei iustæ, ex qua probabile & morale est sequi tale nocumentum. Dices, illud non sequi ex actione talis aduocati, quia potest ille patrocinari accusatori, & quamuis esset iniustus, non tamen respectu illius sed alterius. Respondet, imo etiam est iniustus accusatori, maxime si illum decipit, præbendo vanam spem victoriæ. Deinde moraliter illum constituit in tali periculo, nam si ipse non susceperet causam eius, non auderet accusare; iuuat ergo illum ut se occidat; sit ergo irregularis. Quæ ratio probat de quocumque cooperante. Dixi autem, per se loquendo, quia si bona fide aduocatus existimet causam esse iustam, in eo casu non fiet irregularis: nam irregularitas illa, quam modo explicui, non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidij, saltem indirecte voliti: & ideo si per ignorantiam inuincibilem excusetur delictum, etiam irregularitas excusabitur.

Tertio in simili accusatione iniusta, in qua accusator succumbit, & deformatur, aduocatus rei non erit irregularis, si in progressu causæ ea tantum egit, quæ ad defensionem rei pertinebant, non vero ea, quæ ad exceptionem, seu obiectionem calumnie vel punitionem accusatoris spectabant. Sunt enim hæc per se distincta, nam ad defensionem satis est ostendere delictum non probari, aut accusatum esse innocentem, quod potest contingere, etiam si accusatio non sit ex calumnia, aut digna talione. Probatur assertio, quia tunc aduocatus nullo modo concurrat ad punitionem accusatoris, sed ad solam innocentis defensionem: ergo non est cur fiat irregularis, maxime si præmittat protestationem, quod non intendat accusatoris poenam, sed rei defensionem, iuxta cap. 2. de Homicidio, in 6. Et hoc modo inclinatur in hanc partem Maiolus supra, citans Hostiensensem, & Socinum, & eandem tenet Couar. supra.

SECTIO V.

Utrum omnes qui militant in bello iniusto irregulares fiant.



Vamuis hæc disputatio solum fit de iusta occisione, tamen ut gradum faciamus ad iustum bellum, pauca de iniusto præmittere necesse est. Duplex ergo potest esse euentus illius, unus ut in eo contingant mortes vel mutilationes ex altera parte, alius ut nullus talis effectus sequatur. Sitigitur prima assertio, Omnes militantes in bello iniusto si in eodem fiat homicidia, vel mutilationes fieri irregulares, etiam si propriis manibus sanguinem non fundant. Sed effundentibus committent, aut cooperentur, aut arma præbeant, aut eos adhortentur, aut quouis modo animos adiciant. Ratio est, quia omnes ad homicidium cooperantur. Unde hæc irregularitas, non est ex defectu lenitatis, sed illius, quam explicuimus in priuatis rixis: eadem enim, vel maior ratio est in publico bello. Et fauent c. *Quod in dubio*, de Pœnis, & c. *Si quis post*, d. 51. Et est communis sententia omnium, quos statim referemus.

Potest autem inquiri, quis possit dispensare in tali irregularitate. Cum clericis dici solet solum Papam posse dispensare. De laicis vero distingui solet, nam si ipsi propriis manibus occiderunt, vel mutilarunt, solus Papa potest cum eis dispensare: si autem ipsi non effuderunt sanguinem, sed per alios fuerint facta homicidia, vel mutilationes, poterit Episcopus cum eis dispensare. Ita sentit Maiolus lib. 5. c. 49. in fine, & Syluest. ver. *Bellum*, 3. q. 3. qui tamen nihil distinguit inter laicos & clericos: & ad probandam vltimam partem citat c. 1. & 2. de Cler. pugn. in duell. quæ de clericis loquuntur, & parum probant. Et primum induci potest in contrarium, nam sub ea conditione conceditur Episcopis potestas dispensandi, dummodo homicidium, vel mutilatio non fuerit subsequuta. Nec restringitur, ne fuerit subsequuta per propriam actionem, sed absolute, ergo siue per se, siue per alium. In cap. autem 2. expresse agitur de homicidio per alium facto, & non conceditur Episcopo potestas dispensandi circa vsum ordinum, sed circa habendum beneficium. Imò neq; hæc potestas expresse committitur Episcopo, sed indefinite dicitur: *Poterit tamen cum eo circa obtinendum beneficium misericorditer dispensari*. Itaque non inuenio hanc potestatem concessam Episcopo circa hanc irregularitatem, potius quam circa alias. Et ideo aliter distinguendum occurrit, aut enim deformationes fiunt in hostibus, vel solum contingunt in sociis mutilantium: in utroque enim existimo incurri irregularitatem propter cooperationem, non tamen eiusdem rationis. Nam si occisi vel mutilati solum sint ex sociis, irregularitas est homicidij casualis. Quod enim non sit voluntarij patet, quia non est intentum: quod vero casuale excusari non possit, patet, quia sequitur ex opere illicito contra iusticiam, & periculoso ex se, ut similes deformationes sequantur. Tunc ergo poterunt dispensare qui facultatem habent circa homicidium casuale. At vero si deformationes contingant in hostibus innocentibus homicidium est voluntarium, quia directe intenditur, & actio per se ordinatur, & est sufficiens ad talem effectum, & tribuitur omnibus ibi assistentibus, & cooperantibus, vel excitantibus ad pugnam. Quapropter solus Papa potest tunc dispensare, quia nulla est de hoc casu facta in iure exceptio. Probabile autem est Episcopum posse dispensare cum sacerdote ad beneficium obtinendum, argumentum illius cap. 2. de Cler. pugn. in duell. quia, licet loquatur in duello priuato, extendi potest ad bellum propter similitudinem rationis, & quia ille est fauor,

supra. Qui merito etiam sentit, non solum hoc esse verum in laicis, sed etiam in clericis, maxime si à culpa excusentur assumendo tale patrocinium propter urgentem necessitatem defendendi innocentem. Verum tamen, etiam si non excusentur (puta quia esset alius sufficiens defensor) non existimo incurri irregularitatem, quia illa culpa non est contra iusticiam vilo modo, neque est circa opus, quod proxime aut per se influat in homicidium: nam quod inde possit resultare remoue & per accidens, non satis est, cum inde non oriatur obligatio abstinendi à tali opere, sed ex sola prohibitione potitiua alio titulo facta.

Quarto quando aduocatus in simili causa defendens reum, simul agit contra accusatorem, vel quia non potest defendere sine reactione, vel quia non vult vnum separare ab alio, tunc recte procedit prior sententia, quam in hoc Couarr. & alij sequuntur. Et ratio est, quia talis aduocatus est causa moralis reparationis secutæ in accusatore. Adde tamen limitationem iuxta superius dicta, scilicet, nisi innocens esset constitutus in extrema necessitate, & posset aliter defendi, nam tunc facta protestatione, existimo excusari propter rationem supra adductam. Ut tamen vera sit talis necessitas quæ debent concurrere, scilicet ut defensio non possit fieri pura & sine tali reactione, & ut nulla sit persona habilis quæ possit, aut velit illud patrocinium suscipere: nam alterutra conditio est deficiente, iam non est absolutam necessitas, ut per se notum est.

Ex quo à fortiori sequitur, reum etiam non fieri irregularem, si ita se defendat contra accusatorem ut ob eam rem accusator deformatur in penam talionis, quia multo magis ei concessa est propria defensio. Imò addit Couarr. etiam si reus obtineat contra accusatorem penam talionis, non tantum pure se defendendo, sed etiam petendo calumniatorem puniri, non fieri irregularem, hac tamen obseruata differentia, quod cum proceditur petendo, fiat protestatio, quæ in pura defensione necessaria non erit. Quam doctrinam veram existimo dummodo petitio non fit de pœna, aut vindicta, nam hoc sensu mihi non placet, & repugnare videtur protestationi: sed ut sit de reparatione damni illati & de securitate in futurum, iuxta cap. 2. de Homicid. in c. cuius concessio non habet locum in aduocato, ut constat.

Vltimo interrogari potest de assistentibus in loco supplicij an fiant irregulares, quod habet aliquod dubium in clericis, quia illis prohibetur in c. *Sententiam sanguinis*. Ne cler. vel monach. Dicendum vero est, si sit pura assistentia sine vilo genere cooperationis, non inducere irregularitatem, siue illa sit aliquid culpa, siue non: nam in clericis in sacris censetur esse culpa, non vero in omnibus, ut resoluit Nau. c. 27. n. 24. cum Angelo, & Syluestro, quamuis textus citatus de clericis absolute loquatur. Sed propter materiam leuitatem potest adhiberi limitatio: nam etiam in clericis in sacris non puto esse culpam mortalem, secluso scandalo. At vero si intersint cooperando, aut sua præsentia auctoritatem præbendo supplicio, irregularitatem sine dubio incurrunr ex omnium sententia: quæ etiam sumitur ex cap. *Ex litteris*, de Excess. Prælat. Et ideo religiosi, & alij, qui causa pietatis assistent huiusmodi supplicis, omnino cauere debent, ne aliquid faciant, vel loquantur, quo supplicium accelerent, vel illud quoquo modo iuuare videantur.

Vide Maiolum lib. 2.

ca. 20.